puta hominis per Filium ſuum renovatio? Sicut enim ille per ſuam ſapientiam hominẽ creaverat ad abſolutiſſimam ſui imaginem: ita eundem per Filium ſuum incarnatum, qui eſt ęterna ſapientia, recreavit & regeneravit ad novam Dei imaginem, ut in illa ſua ſapientia, ſanctitas & juſtitia perpetuo reluceret. In his enim imago Dei præcipuè conſiſtit: quæ abdita imago in homine, per eſſentialem Dei imaginem Chriſtum fuit renovata.

Renovatio imaginis Dei.

CAPUT XXXIV.

QUOMODO PER ORATIONEM SAPIENTIA DIVINA SIT quærenda; cum utiliſſimo Tractatu ſive Inſtitutione per duodecim capita ſparsâ, quomodo cor excitandum, inque tranquillum Sabbathum & quietem redigendum ſit, quo ipſe Deus devotionem & orationem in illo accendat ac operetur.

CAPUT I.

QUÆ IN ADAMO AMISIMUS, EA in Chriſto omnia nos recuperare.

Ad Coloſ. 2. *In Chriſto ſunt omnes theſauri Sapientiæ & ſcientiæ abſconditi.*

Homo